

Voces tristes et  
lugubres in memoriam  
instar rosæ  
florentissimæ  
virginis, f...

Gummerus, Josephus

82 Aa 225 Gummera



National Library  
of Sweden

Vener. & ...  
Ludov. ...  
Fati. ...



Voces  
TRISTES ET LUGUBRES  
In  
MEMORIAM

Instar rosæ florentissimæ Virginis, formæ & virtutum laudæ  
maximè conspicuæ,

# ANNÆ GUMMERÆ,

Debiti & officii ergo  
emissæ:

Cujus compages membrorum, sæva avaraque mortis manu fracta, post discessum animæ  
in sinum DEI, æra Christiana millesima Septingentesima nona die Sept.  
in parocia Loimijokenfi contumalabatur humo.

**S**iccine cuncta tibi spernuntur gaudia mundi  
Æternas sedes, pulcherrima virgo, petenti?  
Dulce decus fratrum gratissima gemma  
parentum,  
Eheu! quam subito pertristes deseris hos, qui  
Tū pietate, fide castoque pudore nitenti  
Dotibus eximiis naturæ conspicuæque,  
Optabant multum longævi temporis annos.  
Sed (dolor heu) cecidit cito cassa parentibus isthæc  
Spes, immatura sublata morte puellâ,  
Moribus egregiis virtutibus atque politâ.  
Sic truculenta bonis mors longos invidet annos.  
Verum quod Domino placuit nobisque placebit:  
Ipsi hæc etenim fuerat reverenda voluntas,  
Qui quid conducat solus novitque facitque.  
Sistite vos igitur lacrimas gemitusque parentes,  
Haud amisistis, sed præmisistis alumnam  
Cœlicolam, Domino sic cunctipotente volente.  
Longa quidem Sacris laudantur tempora vitæ  
Promittitque piè Dominus viventibus illa.  
Ast ubi curtatur nonnunquam vita piorum,  
Gratia magna DEI verè est, pergentis eosdem  
Hisce malis cunctis præsentibus atque futuris  
Solvere, ne videant oculis ea sustineantque.  
O igitur felix & terque quaterque beata!  
Quæ gaudes victrix cernens mundana pericla,  
Æternum viridi nunc es redimita corona  
A Sponso Christo, cujus quoque sanguine lota  
Sponsa canis plaudens cum sanctis jubila læta,  
Angelicas cœlo choreas ducisque perennè.

*Hujus virginis pulcherrima, in Sarcophago præsentis,  
licet biulcum, æqua tamen pietate, insculpsit  
calamen.*

JOSEPHUS ...  
O. Bothniensis.

**Q**uam brevis, inconstans hominis sit vanaque vita,  
Hoc exempla satis declarant plurima: namque  
Præproperâ multos occumbere morte videmus,  
Qui non maturos annos attingere possunt.  
Sed truculenta statim prima florente juventa  
Hos rapit atque capit mors, quæ discrimina nescit.  
Quod quoq; nunc præfens exemplum comprobatur hocce  
Raptæ immaturâ dilectæ morte Sororis,  
Non senio vires fractæ, corpusve labore

Cujus erat fessum: verum juvenilibus annis  
Concessit fatis genitalia rura relinquens.  
Ut rosâ manè viget nascens cum lumine solis,  
Sole cadente caput moriens noctuque reflectit.  
Sic soror exiguo viguisti tempore caræ,  
Vita abiit citius tua, quam quis abire putaret.  
Heu! dilecta soror tu spesque decusque parentum  
In studiis nobis pariter dulcisque sodalis,  
Siccine jam tenero nos mœstos deseris ævo.  
Verum cum lacrimæ nequeant te morte peremptam  
Amplius æthereas evocare ad luminis auras,  
Cordibus hoc nostris solamen suppetet ingens,  
Quod summi nostri mandato Judicis olim  
Corporis exuviz rupta tellure resurgent  
Ac animæ capiant cœlestia gaudia junctæ.  
Tuncque recepturi lætantes te sumus omnes.

*Sic obitum præmaturum Carissima quondam  
sororis lamentatur.*

HENRICUS GUMMERUS.

**S**ic tibi nemo potest annos promittere longos,  
Cum properè veluti fumus & umbra fluant.  
Post lapsum nostræ plorandum tempora vitæ,  
Jam pietas, probitas integritasque fides  
Immunem Lachesi non possunt reddere quemquam,  
Sed semel est cunctis mors subeunda ferox.  
Heu! rigidæ mortis miranda potentia visque,  
Ense suo juvenes trux jugulatque senes.  
Sic optata Soror vitæ melioris in ævo  
Es insperata morte coacta mori.  
Sic nos impletos magno mœrore relinquis  
Ah! nimium nobis tristitia fata tua.  
Ora madent lacrimis, ubi tempora læta priora  
In mentem veniunt ac meditamur ea.  
Læta futura foret florens nostra juvenus  
Mufarumque simul svave foret studium,  
Quas quoque fœmineo coluiffes fedula sexu,  
Si te livissent vivere fata diu.  
Sed Deus ut caram sibi te laxavit amicam  
Mundanis curis eripuitque malis,  
Ante thronum pergis cantus modularier agni  
Lætitiâ cœlis perpetuaque frui.

*Hac ratione erga sororem suam quondam  
jucundissimam, pietatem declarare  
& extremum vale, dicere voluit*

ANDREAS GUMMERUS.



